

me dubius est. Nam de justificatione non fluctuat, de peccatorum remissione non hæsitat, de gratia non angitur. Sed in securitate mentis, in pace conscientie, in cordis gaudio exultat, lætatur, gloriatur. Illius Apostolici insignis dicti memor; *Justificati ex fide, pacem habemus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum. Per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloria filiorum Dei.* Nihil hæc Apostolicâ voce optatius, nihil gratiosius, jucundus nihil. Hisce enim verbis certissimam, Apostolus futuræ gloriæ expectationem suavi quadam & cœlesti aurâ motus, Christi fide justificatis, qui factus est omnibus in se credentibus salus, vita, atq; advocatus, concedit: nedum mentis pacem atq; animi tranquillitatem. Spes enim, in qua electi gloriantur, est certa expectatio æternæ vitæ, ad quam fide modò tendunt, nec dum enim comprehendunt. *Per fidem enim ambulant, teste Apostolo, non per speciem.* Cujus fructus est æternitatis gloria cum Deo, quem de facie ad faciem sine velamine in Patria videbunt. In ipsa enim divinitatis suæ substantia eum aspicient. Nam teste Johanne scimus, *quoniam cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est.* Similes autem immortalitate atq; etiam impassibilitate Deo quidem erunt comprehensores. Majestate verò non. Pax autem mentis iisdem non negatur. Quia de salute propria ut qui certi, haud animo anguntur. Angor enim, qui prorsus à justificatis, oppositâ pæce, exul est ex incertitudine ortum habet. Siquidem pax mentis non angorem, non anxietatem, sed requiem conscientie atq; tranquillitatem eis tribuit. Ait enim glossa: *Habere pacem ad Deum, est habere pacem pectoris in presenti.* Ex hoc autem pectoris requie oritur summa fiducia accedendi ad Deum. Nam, teste Johanne: *si cor nostrum non reprehenderit nos: fiduciam habere aus ad Deum.* Ex fiducia formidinis omnino propulsatio, juxta illud Esaia: *Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam & non timebo.* Ex formidinis propulsatione securitas, teste Spiritu Sancto: *credite in Domino Deo vestro, & securi eritis, ex securitate hilaritas teste eodem Spiritu Sancto, securi mens, quasi jure convivium, & alibi: divitis & pauperis si est cor bonum, in omni tempore vultus illorum hilaris.* Ex hilaritate Gloria nostra hæc est, testimonium conscientie. Quibus cum profectò hæsitatio non potest stare. Quia privativè opponuntur. Pax enim pectoris, intrepidus accessus fidei ad Deum, certum & infallibile testimonium Spiritus Sancti, fluctuationem omnem excludit. Ecquis enim in tanta divina pace constitutus senserit unquam fluctuationem? Quare summam sentit securitatem & tranquillam pacem. Ubicunque enim excluditur hæsitatio, ibi remissionis peccatorum certitudo ponitur. Sunt enim hæc contrariæ, ut calidum & frigidum, quæ ab eodem subjecto invicem sese excludunt. Nam certitudo securitatem mentis tribuit: Incertitudo fluctuationem atq; animi hæsitationem secum trahit. Quam enim incertus est quispiam, semper hæsitat, quid statuendum sit. Proinde eam incertitudinem exclusam esse Jacobus Apostolus, à quocunq; fideli, volens, ait: *Si quis autem vestrum indiget sapientiâ, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non impropert: & dabitur ei. Postulet autem in fide, in nihil hæsitans, qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento movetur & circumfertur.* Qui, inquit Apostolus, suorum peccatorum pondere pressus hæsitat super cœlestia petere præmia: is ita decidit à fide, quemadmodum fluctus maris, qui citò transit ac recedit. Quia non de clementia omnipotentissimi Dei, qui dives est in misericordia; quiq; solem suum facit oriri super bonos &

Rom. 5. v.

1. 2.

2. Cor. c.

5. v. 7.

1. Job. c.

3. v. 2.

1. Job. c. 3.

3. v. 21.

Es. 12. v. 2.

2. Paral.

c. 10. v. 20.

Prov. c.

15. v. 16.

Eccl. 26.

v. 4.

2. Cor. c. 1.

v. 21.

Jac. 1. v.

6.